



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quæ persona in iudicio jurate possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

coronatione Ecclesie Romanæ, & Summo Pontifici præstare solet, ut patet ex *Clement. Romani h. 1.*

Secundò dividitur iuramentum in contestatorium, sive illud, quod fit per simplicem contestationem Divini Numinis, sive quando simpliciter Deus in testem vocatur: & in iuramentum execratorium, quod fit sibi ipsi, vel aliis dilectis, vindicem Deum, sive malum à Deo immittendum imprecando. De quo Theologi Morales.

Tertio dividitur in iuramentum iudiciale, & extrajudiciale. Hoc extrajudiciale fit, & satis explicatur à Theologis Moralibus. Illud in iudicio fit, & in diversas species subdividitur, ita ut aliud dicatur iuramentum calumnie, de quo in Tit. 7. hujus Libri. Aliud dicatur in litem, cujus tres sunt species. Prima est iuramentum veritatis, sive veræ æstimationis, quod deferretur parti, ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius malitiam ablata, præcedente tamen iudicis taxatione *c. ult. De his, qua vi metusve, &c.* Secunda est iuramentum affectionis, per quod rationes pecuniarum affectionis, aut utilitatis erga rem sibi deperditam, conceditur huic parti, præcedente tamen iudicis ratione, rem majoris æstimare, quam communiter valeat. Tertia est iuramentum super interesse singulari, & extra rem, quando scilicet damnum passus fuit ex non restituta re sua, quod iuramento æstimare permittitur. Aliud denique dicatur litem decisivum, quod in iudicio ad finendam litem nonnunquam deferretur, & si quidem hoc à parte parti deferretur, quod simpliciter recusari potest, dicitur vo-

luntarium; Si verò iudice approbata deferatur à parte parti, ita ut relictæ parte possit, dicitur iudiciale speciale. Necessarium verò denique dicitur, quod ob inopiam plenæ probationis à iudice alterutri parti litigantium, vel ex officio vel ad instantiam alterius partis detur, & suppletorium etiam dicitur, ac iudiciale, si iusta causa recusari non potest.

## §. III.

*Qua persona in iudicio jurare possint?*

**O**Mnes homines rationis usque ad senectutem, & ex natura rei sunt capaces iurandi in iudicio, etiam pueri ante pubertatem, ut constat ex *c. 1. In de iur. iur.* Cogendi tamen impuberes non sunt, ad iurandum in iudicio, ob defectum perfectæ discretionis ad reverentiam iuramenti requisitæ; sed nec Sacerdotes levi causa compelli debent, ad iurandum in iudicio, *can. Si quis Presbyter, &c. c. 2. q. 5.* neque enim iuramentum sacrarium est, nisi quod fidei iuramentum omnia deferantur, quod Sacerdotes cogitas dicere non possunt: perjurium vero nullo modo admittendi sunt, ad iurandum in iudicio, quia cum semel perjuraverint in iudicio, periculum est, iterum pejerent.

## §. IV.

*De variis iuramentis illicitis, quæ iuramentum non obligant.*

**I**uramentum de re illicita, aut immoribus, ac rectæ rationi repugnante scienter factum, quod observari non debet, regula generalis est; cum iuramentum